



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

40. Feria 6. De blasphemis cogitationibus, scrupulis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

*Feria 5. Dom. 4. Epiph. 67*

ingenij, mutare statum melioris vitæ, simul est signum perditionis: quid enim boni sperem, & quid mali non timeam ab hujus cogitationis auctore spiritu maligno?

*Conf. 3.* Decem fluctus quasi decumanos, unde non cauti ad naufragium præcipitantur. 1. vitiata resolutio prima, fundata in affectu minus recto quærendi se: unde rationibus proprijs, & humanis se committit, aspera cautè subterfugit, placentia dexterrimè sectatur, in creaturis, bonis socijs, locis, officijs, genio arridentibus, per patronos adulatione procuratis acquiescit: cum perfectionis studiosi sit, deserere se, & Deum quærere. 2. pravæ consuetudines nondam plenæ devotæ. 3. affectus erga alios inordinatus nondum plenè superatus. 4. infirmitas fidei circa promissa fervientibus DEO. 5. Occupatio in rebus se majoribus dijudicandis. 6. tardè ac tepidè in via perfectionis procedere. 7. Separare se à meliorum consortio. 8. Intemperanter aspirare ad aliquid, non relinquendo se dispositioni DEI. 9. neglectus, & odium disciplinæ. 10. Neglectus orationis mentalis, aliorumque exercitiorum pietatis.

MEDITATIO XL.

*Feria 6. Dom. 4. Epiph.*

*De blasphemis cogitationibus, &  
scrupulis. Aspi-*



**A**spiciam geminum scopulum, in quem navigia alliduntur: blasphemias cogitationes, & scrupulos. Petam intelligere modum eos rite transeundi.

*Conf. 1.* Cogitationes blasphemias omnino non timendas, quas ego non dico, sed demon immitit; verum eas detestandas, Deusque orandus, ut ipse eas à me abigat, ne ijs consensum præbeam; est autem consensus, actus voluntatis, quo expressè peccatum quis vult, & iniquitatem amplectitur; suggestio autem, siue sensus, est cogitatio peccati ab extrinseco immissa, velut ignis injectus, quem non facile valemus extinguere, interdum in corpore iracundiæ motus, & inverecundos libidinis excitantem. Non pecco igitur si sentio, dum non consentio. Sed forte interpretativè consentio, quia phantasias non rejicio: verum qui DEO placere vult, qui in vita inchoata permanere, putare debet se non dissimulasse, sed saltem leviter resistisse.

*Conf. 2.* Scrupulos esse cogitationes quasdam levissimis rationibus, & ferè nullis nitas, quibus judicamus, peccatum aliquod siue grave, siue leve, actionibus nostris inesse: earum autem sunt rationes leves, quas Superior, aut Pater spiritualis judicat, licet scrupuloso evidentes videantur.

*Conf. 3.* Causas scrupulorum; vel enim  
pro



procedunt ex complexione, rigore immoderato, &c. & à medico curandi sunt: vel procedunt à DEO ignaviam castigante, & defectus cavendi sunt, Dei que visitatio patienter toleranda: vel à societate scrupulorum, & ea deserenda est: vel aliunde, tunc adhibenda oratio, frequens Sacramentorum usus, discreta corporis castigatio, opera misericordiae, & maximè obedientia: sicut enim certum est scrupulosum Magistro non credentem curari non posse, ita facile curabitur obediens, quem Magister benignâ legum & præceptorum interpretatione curabit, jubebitque in oppositum operari, non metu inferni, qui plerumque origo scrupulorum est, sed puro amore DEI.

MEDITATIO XLI.

Sabbato Dom. 4. Epiph.

*B. Virgo Stella polaris.*

**A**spiciam D. Virginem stellam polarem potestate plenam conterendi caput serpentis. Petam ejus ope evadere septem scopulos naufragijs infames, quos hâc septimanâ meditatus sum.

*Conf. I.* Repetendo quónam modo segnities, nimius fervor, memoria seculi, & antiquæ vitæ: desperatio perseverandi, desiderium mutandi statum, blasphemæ cogitatio-

nes: